

Nascitur purpureus flos Boemicis terris,
maior filius ex parentibus magnis, au-
reum pomum processit e nobilibus ramis,
progreditur pulchra facie sed pulchrior
spiritu Voitechus puerulus, quod nomen interpreta-
tum sonat consolatio exercitus. Pater eius erat vir
magnus et praepotens, substantia eius integra,
possessio diffusa. Est ei mortaliū felicitatum copia,
sub se positorum hominum unda, familia multa
perstrepsens, argento et auro plena domus.

Cum esset dominus terrae, fuit tamen mediocrius ho-
mo: oratio rara sed habitaverat secum misericordia
bona, neglecta castitas et larga pauperum cura. Ma-
ter ex genere Sclavorum erat nobilissima caro, digna
iugalis iuncta digno marito, marito videlicet qui
tangit reges linea sanguinis, quem longe lateque iura
dantem hodie tremunt populi, Henrico regi accessit
proximus nepos. Femina, aiunt, casta moribus, ple-
na elemosinis, fidem loquens operibus nobilitati suae
pulchrum responsum dedit, sed discipula virtutis be-
ne fit rea custos fratris. Nam dum zelat zelo castita-
tis, dum fit familiaris famula orationis, dat viro
occasionem peccandi non cum una sed cum femina-

rum turba. Bonus pater sed melior mater, optimus
qui nascitur ex ipsis.

II.

Lacte plenus interea parvulus homo febricitans mortem vicinam parentibus minatur; fletum movet oculis videntium suos sidereos vultus. Pater fecit spissum gressum ad quem amat prae filiis filium, testatur crebris lacrimis, quantus vivat amor pueri in visceribus patris. Mors amara in foribus! ecce occurrit salus bene cogitantibus. Dixerunt ergo territi patres tremula prece: Non nobis, Domine, non nobis vivat puerus iste sed clericus in Dei Matris honore portet iugum tuum pulchra cervice. Sic dicunt ponuntque super altare Virginis et recessit in ictu oculi vis doloris, infans ad se redit sospes in omnibus membris. Bona angelorum imperatrix augusta, perpetua virgo, sic in se clamantium ad Deum portat hominum vota; dum negare nescit corde petentibus, de caelo fert opem aegris mortalibus splendida stella maris.